Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



et hic aspectus corporis similitudo hominis eius. Et quatuor facies uni. et quatuor pennae uni. et pedes eorum pedes recti. et plantae eorum sicut plantae pedis pedis uituli. et scintillae sicut aspectus aeris candentis. et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus. et facies et pennas per quatuor partes habebant. illae quoque erant pennae eorum alterius ad alterum. Non retrahebant cum incedunt. sed unusquisque ante faciem suam gradiebatur. similitudo autem vultus eorum facies hominis et facies leonis. ad dexteram ipsorum quatuor facies autem bouis. a sinistris eorum quatuor et facies aquilae desuper ipsorum quatuor. et facies eorum et pennae eorum extentae desuper. duae pennae singulorum iungebantur et duae tegebant corpora eorum. et unusquisque coram facie sua ambulabat. Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur nec retrahebantur cum ambularent. et similitudo animalium aspectus eorum sicut carbonum ignis ardentium. et quasi aspectus lampadum. Haec erat visio discurrens inter animalia. splendor ignis. et de igne fulgur egrediebatur. et animalia ibant et redeunt in similitudinem fulguris coruscantis. Cumque aspicerem animalia. apparuit rota una super terram iuxta animalia. habens quatuor facies. et aspectus rotarum et operatio earum sicut visio maris. et una similitudo earum quatuor. et aspectus earum et opera. sicut si sit rota in medio rotae. per quatuor partes earum euntes ibant et non redeunt cum ambularent. et altitudo erat rotis. et altitudo horribilis aspectus. et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsarum quatuor. Cumque ambularent animalia ambulabant pariter et rotae iuxta ea. et cum elevarentur animalia de terra. elevabantur simul et rotae. et quocumque ibat spiritus illuc eunte spiritu et rotae pariter elevabantur sequentes eum. spiritus enim vitae erat in rotis. cum euntibus ibant. et cum stantibus stabant. et cum elevatis a terra pariter elevabantur et rotae sequentes eas. spiritus enim vitae erat in rotis. et similitudo super capita animalium firmamenti. et quasi aspectus crystalli horribilis et extensi super capita eorum desuper. sub firmamento autem pennae eorum rectae alterae ad alterem. unusquisque duabus aliis velabat corpus suum. et alterum similiter velabat. audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum quasi sonum sublimis dei. Cum ambularent quasi sonus erat multitudinis. vel sonus castrorum. Cumque stabant demittebantur pennae eorum. nam cum fiebat vox super firmamentum quod erat super caput eorum stabant et submittebantur alas suas. et audiebam quod erat super firmamentum imminens capiti eorum quasi aspectus ~~lampadis~~ lapidis saphyri similitudo throni. et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. et vidi quasi speciem electri velut aspectum ignis intrinsecus per circuitum eius a lumbis eius et deorsum. et vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviae. Hic erat aspectus splendoris per gyrum.

Haec visio similitudinis gloriae domini. II

Et audivi et cecidi in faciem meam. et audivi vocem loquentis et dixit ad me. fili hominis sta super pedes tuos et loquar tecum. et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi. et statuit me super pedes meos. et audivi loquentem ad me et dicentem. fili hominis mitto ego te ad filios israel ad gentes apostatrices quae recesserunt a me. ipsi et patres eorum prevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. et filii durae cervice sunt et induratis cordibus ad quos ego te mitto. et dices ad eos. haec dicit dominus deus. si forte audiant et si forte quiescant quia domus exasperans est. et scient quia propheta fuerit in medio eorum. Tu autem fili hominis ne timeas eos. neque sermones eorum metuas quia incredulis et subditis sunt tecum. et cum scorpionibus habitas. verba eorum ne timeas. et vultus eorum ne formides quia domus exasperans est. Loquens ergo ad eos. si forte audiant et quiescant quia irritatores sunt. Tu autem fili hominis audi quae cumque loquor ad te. et noli esse exasperans sicut domus exasperans hoc est. aperi os tuum et comede quod ego do tibi. et vidi et ecce manus missa ad me in qua erat involutus liber. et expandit illum coram me quem erat scriptus intus et foris et